

2. K. 146. 3.

Yc
1614

CONSVL ET SENATVS
CIVITATIS CAMENTIENSIS

LYCEI PATRII

MVNERA SVPERIORA

SOLEMNITER TRADENDA

INDICIT.



BVDISSAE

EX OFFICINA SCHOLZIANA.



1794


CONSILIUM
CIVITATIS
LIVONIAE
MURARIA SUPERIORIA
SOLVENDI



1794
LIVONIAE

1794





Futuram cuiusvis reipublicæ salutem inprimis pendere ab educatione iuventutis, in parentum locum successuræ, communi quodam omnium consensu ita receptum est et confirmatum, ut actum agere videretur, qui argumentis nimis anxie conquistis id commonstrare sustineret. Cum enim omnium civium status et fortuna singulorum et ingeniis, et moribus, innitatur; ingenium autem moresque omnium hominum, quam per primos ætatis annos culturam experiri, aut formam induere solent, eandem per reliquam vitam ut plurimum feruent: in prima iuventutis institutione causas melioris deteriorisque conditionis insequentium seculorum quærendas esse, nemofacile in dubium vocauerit. Vti autem bonorum piorumque parentum est, de futura filiorum salute munienda augendaue serio cogitare: ita etiam quod maiores his, qui nunc rebus humanis intersunt, præstiterunt, aut certe præstare voluerunt et debuerunt, idem posteriores secuturis se nominum patriique soli hæredibus officio quodam naturali ac iure perpetuo vicissim præstare tenentur, illorum rebus ante, quam ipsi sibi consulere valeant, omni, qua possint, cura prospiciendo, seu, ut verbis utamur rei magis convenientibus, ipsos

ipſos quam optime educando. Hinc ab antiquiſſimis inde temporibus prudentiores quoſque, quibus adminiſtrandarum rerum publicarum cura apud cultiores gentes demandata fuit, id ſibi datum exiſtiſſe conſtat, vt præter priuatam educationem, cui vtiliter recteque inſtituendæ pauciſſimos ciuium animo opibusque pares viderent, de ſcholis publicis aperiendis, conſeruandis, emendandis, ſaluberriſſima quæque decernerent, atque in omni legiſlatione formandæ erudiendæque effloſcentis poſteritatis haberent rationem. Quorum veſtigia maiores noſtri, priſtina feritate litteris elegantiſſimis, huc terrarum confugientibus, paullatim abſterſa, ſibi premenda rati, vno eodemque optimo quidem conſilio, paſſim tamen ratione maxime diuerſa, nec pari ſucceſſu, maioribus minoribusque inſtitutionis publicæ officinis condendis exſtiterunt auctores; ſpe freti, fore, vt ſic et parta melioris fortis commoda, et cultioris vitæ rationem, eo facilius ad omnes deinceps ſibi ſucceſſuros nepotes transmitterent. Quidni igitur omnes, quorum fidei ſalus publica eſt commiſſa, id cumprimis ſuarum partium eſſe iudicent, vt eximia illa pietatis ſapientiæque maiorum monumenta non ab interitu modo defendant, verum etiam aut priſtino reddant ſplendori, aut, vbi vitiiſ extantiſſimis laborare videantur, expoliant, magisque exorment? Innumeris enim, innumeros ſi audiamus librorum auctores, quorum pars longe maxima, ſummis viris, ad quos harum rerum cognitio potiſſimum pertinet, nimis audacter ſe admiſcentes, illorum ſententia plerumque fatiſ infeliciter excepta, de cauſiſ nonnunquam ſibi proſuſ ignotiſ iudices federe non erubescunt — innumeris igitur, iſſque grauiſſimiſ vitiiſ ſcholas tantum non omnes inquinatas eſſe clamitant; quod decremента ſolidioriſ eruditioniſ latiusque ſerpant, iſſdem tribuendum eſſe contendunt; communem exinde, in noſtriſ certe terris, artium ſcientiarumque omnium iacturam noſ metuere iubent, niſi illam iunctiſ viribus totius rei ſcholæſticæ emendatione mature præuertere ſtudeamus; ſcholas denique ipſas, quales nunc ſint, vnoſ tot tantorumque malorum fontes calum-

luminantur. Hinc infinita illa consiliorum vel millies recoctorum atque indies immutatorum repetitio, quorum haud pauca permultis scholis aut plane non conuenirent, aut vitia exterminanda cum aliis, iisque forte magis exitiosis, commutarent. Nos quidem industriam doctorum virorum recte collocatam, tantum abest, ut reprehendamus, ut illorum merita in rem litterariam vniuersam, atque in hanc, cui contemplandæ cum maxime inuoramus, partem eiusdem præcipuam, grato animo veneremur, consiliaque saniora, quibus ludorum litterariorum curatores iuuare dignantur, quantum pro viribus licet, lubentissime sequamur. Id tamen ægre concederemus, quod complures verbis et disertis, et præfractis, pro certo affirmant, omnem labantis eruditionis culpam vnice in scholas esse coniciendam. Ita nempe querelis de illarum corruptione aures nostræ sunt adsuetæ, ut vel inuiti, ut fieri solet, iniustissimis maleuolorum criminationibus nostrum præbeamus ad sensum, nec audientibus legentibusue illico in mentem veniat illud, quod aiunt, summo iuri summam sæpe adherere iniuriam. Salutem publicam pariter, ac ipsam eruditionem, omnino cum inferioribus litterarum officinis stare, aut iacere, nos quidem minime disitemur; nec istarum corruptionem, qua aliæ minus, aliæ magis infectæ dicuntur, denegamus: hanc autem ex illis ipsis, iisque solis, trahere originem, causa diligentius recognita, nemo facile iudicauerit. Quam sententiam nostram, scholarum, quas omni pæne patrocínio destitutas animaduertimus, causæ fauentem, argumentis satis perspicuis probatam dare speramus, complura, quæ illis vitio dari solent, alio transferenda esse, commonstraturi.

Iam querelæ ipsæ de corrupta institutione scholastica, attentius illas perpendenti, tum vero plerique istarum auctores, cuique, in sententiis aliorum excutiendis paullo cautius versanti, calumniæ suspicionem mouere possunt. Ita enim hominum animi plerique sunt comparati, ut earum rerum, quas quotidie videre assueuerunt, tædio capti, nimis nota contemnunt, varietatisque amore ducti, vehemen-

hementissimo nouarum rerum studio teneantur; quod permultis, de re scholastica iudicantibus, accidisse videtur. Præterea cum primæ adolescentiæ memoria vnicuique præ cæteris vitæ annis sit longe suauissima atque iucundissima: prouectiores ætate, omnium pæne rerum, vestium, cultus, ædium, immo sermonis, morumque formam externam nunc quam maxime immutatam videntes, omnia in peius abiisse queruntur, sæculis futuris grauiora extimescenda opinantur, finem rerum haud longe abesse dictitant, seuerissimis denique atque acerbissimis iudiciis, quippe obliui, quales ipsi olim fuerint, omnia prosequuntur, quæ ipsis a præcorum temporum ratione abhorreere videntur; iunioribus interim eorundem morosorum auorum animum referentibus, vestigiis illorum insistentibus, idque agentibus, vt illos non modo assequantur, bonaque, eorum virtute parta, tueantur, sed ipsos adeo superent. Eandemque ingeniorum diuersitatem senes inter ac iuuenes per omnia secula obseruare licuit. Ita etiam non multo tempore post, quam sedem fixissent in Germania nostra politionis humanitatis literæ, scholisque publicis condendis, quibus colerentur fouerenturque, ansam præbuisent, non defuerunt, qui instituta illa variis de causis reprehenderent, modo hoc addi, modo illud demi vellent: nectum temporis quidem plane abs re, vti videtur. Senioribus autem nonnullis, velut rei diuturno vsu peritioribus, iure quædam reprehendentibus, iuniorum complures, vt fert hominum ingenium, libidine quadam innouandi abducti, viaque trita neglecta, prorsus aliam, ac singularem semper affectantes, alii oracula istorum vehementius vrgere, haud pauca de suis addere, eademque cantilena æqualium aures obtundere; alii, in contrariam partem abeuntes, maiorum consilia susque deque habere, omnia euertenda suadere, suamque sententiam, nouam scilicet, vnicui commendare. Qui nonnunquam superiorum seculorum scripta euoluere solent, nos vera referre haud dubitabunt; et tamen de nostris temporibus narratur fabula: sol enim, vt Salomonis effato vtamur, nusquam terrarum quicquam conspicit noui. At quis huius
fari-

farinae sententiis subscribat? Quis querelis ex huiusmodi fontibus natis immoretur? Quis illas cognitione dignas iudicet? Quis hinc morositati senili, illinc iuuenili audaciae, ne dicamus procacitati, temere applaudit? Summam itaque institutis scholasticis eorumque curatoribus ab utraque parte fieri iniuriam, palam est. Vitia tamen ingrauescentis aetatis, nimio ut plurimum posteritati quam optime consulendi studio peccantis, quis non libenter excusanda putet? At adolescentium, plerumque magis temere iudicantium, quis causam agat? Praeter turpissimos errores, quibus saepissime barbatuli homines se auferri patiuntur, grauissimae impietatis rei merito sunt agendi. Vix enim e ludo literario digressi, cui omnem ingenii culturam, omnem scientiarum apparatus debent, sanctissimis grati animi officiis neglectis, non solum praecipuos, optime de se meritos, despiciunt, diligenciam illorum, velut ineptam atque obscuram, reprehendunt, immo ipsos crasse ignorantiae incusant; sed ipsam quoque Musarum sedem, in qua prima litterarum posuerunt rudimenta, omnemque ibi receptam iuuentutis instituendae rationem, sublato supercilio, vituperare non desinunt; id praecipue operam dantes, ut duces suos longe anteuertisse videantur, eaque re eximia sibi sapientiae gloriolam vindicent. Querelis igitur, quas huiusmodi homunciones, nimis mature plerumque libris scribendis se accingentes, cire solent, quis moueatur? aut quis illas iniustissimas esse non iudicauerit? Quas tamen cum ipsarum auctoribus missas faciamus, quanquam de istiusmodi criminationum iniquitate plura in medium proferre poteramus, veros fontes quorundam vitiorum, quibus pleraeque scholae re ipsa laborantes deprehenduntur, diligentius indagaturi; vnde sine dubio apparebit, illas etiam ex hac parte haud raro praeter meritum accusari.

Ac primum quidem, quoniam haec causa ceteras plerasque comprehendit, de ipsis eruditionis decrementis videamus, quae nostris temporibus e scholis, velut illius fundamentis, rei litterariae vniuersae ingruere dicuntur. Id enim dubio caret, si, neglectu litterarum

in

in scholis inualescente, plurimi iuuenum, artium culturæ ibi se totos deuouentium, iisdem tantum leuiter tincti inde dimitantur, eosdem ipsos aliquando imperitiores ad institutionem aliorum redituros, eorum discipulos ipsis fore inferiores, adeoque paullatim tantam futuram esse virorum vere doctorum penuriam, vt terris, summo adhuc eruditionis splendore collustratis, ignorantiae caligo rursus offundatur. Atque id ipsum ab institutis scholasticis, vti nunc quidem comparata sint, posteris nostris esse metuendum, quamplurimi contendunt. Vnde autem ista institutionis iuuenilis corruptio, si ipsa denegari nequit, orta est? Qui factum, vt nobilissima illa litterarum emporia, summo existimationis gradu deturbata, tam male iam audiant? E vulgi opinione, pleraque limis oculis adspicientis, omnis culpa cum in summos scholarum præfectos, tum in ipsos præceptores reicienda esset. Ac posteriores quidem vt plurimum ad iuuentutem et erudiendam, et educandam, idoneos esse negant; scientias, quibus iuuentutem imbuere debeant, ne ipsos quidem satis callere, ideoque non modo lectionem interpretationemque veterum Græcorum ac Romanorum, qui omnis cognitionis fontes sint vberissimi, aut omnino posthabere, aut infulse rem aggredi, sed etiam multarum artium scientiarumque doctrinam plane non attingere, animis denique ad morum honestatem informandis aut minime pares esse, aut molestiam rei reformidare, cæterum non nisi victus querendi causa muneribus istis inhiasse, eodemque consilio illis nunc perquam negligenter defungi, clamitant: priores contra, a quorum nutu omnis res scholastica pendeat, partim non satis cautos versari queruntur in muneribus tanti momenti conferendis, partim segniores esse in præceptoribus ad omnia officia strenue præstanda compellendis, partim denique istorum salariis augendis, multis in locis nimis illiberaliter constitutis, debitam non adhibere curam; qua tamen re efficere possent, vt viri ingenio, animo, moribusque cultiores ad munera ista suscipienda paratiores se offerrent, susceptaque, vel nemine instante, maiori cura atque industria obirent. Ad quam
poste-

posteriorem reprehensionem, quoniam reliquas haud leuiter attingit, quæ reuerenda videantur, ante omnia exponamus: hac enim prius excussa, priores per se euanescent. Non omnia æraria publica tam bene se habent, vt desiderio de salariis augendis commode saluaque fide publica satisfieri possit; ciuibus autem, plurimis iisque grauissimis oneribus iam oppressis, ipsisque nonnunquam de victu sollicitis, ea de causa noua irrogare tributa, inconsultum foret et iniquum: quamuis caeteroquin publicis litterarum doctoribus vitam lautiorē maioremque opulentiam minime inuideremus, quam boni inter illos sine dubio etiam in usum iuuentutis verterent. Quodsi autem ciuitatis facultates permittant, vt hac ratione preceptorum rei familiari melius prospiciatur: valde tamen veremur, vt eximia comoda, quæ auctores consilii iactant, semper exinde in rem scholasticam redundant. Diuitiæ enim, irritamenta illa plurimorum malorum, quibus interdum vel optimi viri corrumpi solent, permultos sine dubio ad ignauiam, luxuriam, officiorumque neglectum inuitant, adeoque alienarum rerum studio abreptos, iuuentuti instituendæ penitus inutiles redderent. Deinde in mira illa eruditorum paucitate, quam e corruptione scholarum iam enatam perhibent, parum certe iuuarent salaria vel maxime aucta.

Numerum autem doctorum virorum, quales in scholis præferim desiderantur, multo abhinc tempore apud nos decreuisse, inficiandum non est: at eius rei culpam in scholas ipsas transferendam esse, id quidem negamus ac pernegamus. Magistri enim scholarum non in his ipsis, sed in academiis formantur. In illis tantum ingenia iuuenum, velut argilla in arte plastica, variis modis perfricantur, elauuntur, subiguntur, vt eo paratiora atque aptiora ad formam ipsam in his induendam se exhibeant. Quamuis enim plures in illis, quam in his, annos commorari soleant: paucissimi tamen ante illam ætatem, quam plerique vite academicæ maxime conuenientem iudicant, (cum antea omnibus mentis viribus vix ac ne vix quidem recte vti sciant,) aliquantisper finguntur, nulli effinguntur.

**

tem

rem institutio scholastica; siue sit humanarum, siue diuinarum rerum, a celebriorum in academiis doctorum, quorum auctoritas quam larissime valet, iudiciis ac suffragiis maxime pendet. Vti autem omnium rerum perpetuam vicissitudinem obseruare licet, ita etiam, praecipue in scholis superioribus, ad quarum exemplum inferiores paulatim componuntur, scientiarum, maxime ad explicationem veterum scriptorum pertinentium, item philosophicarum, immo et hodie theologicarum, tradendarum ratio alia aliam excipit. De nulla eadem semper est omnium doctorum virorum sententia. Cum autem satis crebro accidat, vt institutionis quaedam ratio, per aliquod tempus vel optima habita, exolescat, variarumque opinionum dominium abrogerur ante, quam iisdem imbuti muneribus scholasticis administrandis praeficiantur: mirandum certe non est, perpetuum quendam scholas inter et academias existere dissensum, atque has conqueri de corruptione illarum: quam tamen, si modo corruptio dicenda fuerit, ex his ipsis, vt ostendimus, in illas profectam esse, nemo negauerit. Amicam autem inter vtrasque consensionem conciliari posse, desperandum non esset, si ex academia abeuntes illico semper muneribus scholasticis praefici possent: quod tamen aliis de causis prudentior quisque haud suaderet. Nam quicquid scientiarum adolescens inde a prima pueritia hauserit, tum demum per aliquot annos digerat, excolat, in suum aliorumque vsum vertere discat, et, quod maximum est, ad ipsam vitam bene recteque instituendam, nec non ad hominum longe diuersissimam agendi rationem facilius cognoscendam, ipsorumque animos diiudicandos perpendat, priusquam ipse paruæ reipublicæ praeesse cupiat. Quae itaque ad morum honestatem, seu educationem ipsam pertinent, ex vitae vsu potissimum iuuentutis ductor asportet, necesse est: praecipua autem ingenii eruditionisque ornamenta, quibus illum condecoratum exoptamus, non nisi in templis Musarum academicis impertiri solent. Ex his omnibus apparet, potiorum, quae in praceptoribus publicis notari solent, vitiorum, tum vero ipsius corruptionis scholarum inferiorum, contumeliam summa iniuria in has ipsas reici; quippe quae maxi-

maximam partem, ac imprimis quidem, vbi ad detrimenta respicias, quæ homines, aut ipso doctorum academicorum dissenſu in errores deducti, aut ob temporum intervalla recentiorum ſententiarum ignari, litterarum culturæ in his afferre dicuntur, in ipſam institutionem academicam retorquenda videatur: quam tamen, ne quis putet, aliis nos temere iniuriam facere velle, pariter ac ſcholasticam, multis nominibus excuſandam eſſe, ex ſequentibus erit cernendum.

Quantum autem culpæ iis ipſis ſit tribuendum, qui aut inuita Minerua, aut oſcitanter ac præpoſtere, Muſarum cultoribus ſe immiſcuerunt, ipſa res loquitur. Namque eruditorum vita, vt vulgo creditur, otioſa atque a corporis moleſtiis libera, permultis ita aridet, vt, licet ingenio ſint hebetiſſimo, Muſis tamen nomen dare nullo modo deterreantur. Quod præterea iuvenes ſæpe parentum ſuaſu, vel maxime inuiti, eodem ſtadio decurrere cogantur, neminem ſugit. Qua quidem ratione imperitiorum agmen admodum augeri, virorum autem vere doctorum cateruam indies imminui, per ſe liquet: veruntamen eius rei culpa ſcholas pleraſque liberandas eſſe iudicamus, donec cuique ciuium arbitrium de vitæ genere amplectendo ex legum auctoritate erit permiſſum. Quæ omnia etiam valent de his, qui ingeniis parum excultis, necdum ſatis ſubactis, aut ſponte, aut conſilio eorum, ad quorum voluntatem ſe totos componere tenentur, abitu in academias maturant, eaque re et ſibimet ipſis, et forte reipublicæ, maximum inferunt detrimentum. Quodſi parentum, iuuenumque imprudentium ipſorum, licentia arctioribus limitibus circumſcriberetur, præceptoribus autem concederetur ius, immo iniungeretur officium, delectus ingeniorum habendi, ita vt ſanctiora litterarum adyta non niſi his recluderentur, qui optimam de ſe ſpem facerent: malis inde enaſcentibus magna ex parte occurreretur.

Quoniam autem in eo cum maxime occupati ſumus, vt querelas de corruptione ſcholarum pleraſque vanas, eiusdemque cauſas, ſi quæ ſunt, alio transferendas eſſe doceamus, fontem labascentis eruditionis indicare ab inſtituto noſtro non alienum erit, quem fere neglectum

glectum comperimus. Etenim qui inertiam præceptorum ludis litterariis ut probrum obiciunt, inde etiam numerum discipulorum, illuc ad litterarum culturam confluentium, civium ipsorum numero crescente, maxime deminutum deriuandum esse putant. Ac pauciores profecto hodie, quam olim, si nostra cum antiquioribus temporibus conferantur, litterarum tirones in plerisque scholis pariter atque academiis reperiuntur. Verum enim vero qui hanc labem cumprimis urgent, eamque scholis ipsis vitio vertunt, e numero eorum esse videntur, qui frequentiam studiosorum litterarum per septennium illud tristissimum, belloque maiori Germaniæ parti funestissimo insigne, ubiuis pæne obseruatam demirati sunt. Quis enim nescit, celebritatem istam singularem magis timori ab hoste, quo omnium animi tum erant perculsi, tribuendam fuisse, quam eximiae cuidam ingeniorum fertilitati, aut inualescenti litterarum ardori. Plerique enim parentes, de filiorum carissimorum sorte solliciti, metuque, ne vel contra patriam ipsam stipendia facere cogerentur, compulsi, ipsos, quantumuis stupidos, Musis, quibus immunitatem ab armis datam esse sciebant, dicere fatius duxerunt. At quid inde euenit? Numero sciolorum, nomenque eruditionis præ se ferentium, adaucto, grauissimis nonnunquam muneribus adeoque etiam scholasticis, potiti sunt homines, ad omnia alia aptiores; quibus cum integrum non esset, eo redire, vnde natura inuita discesserant, id egerunt, ut, vel fortunæ ipsi illata vi, digniore quocumque protruso, suis rebus per reliquam vitam consulerent. Vnde cuius facile est colligere, uti vnius eiusdemque mali vna plures sapissime sunt causæ, ita, quæ nunc diximus, iis esse accensenda, quæ supra monuimus, cum de præceptorum quorundam inertia responderemus. Nondum quidem omnes calamitates, cum isto bello subortæ, deserunt; veruntamen pace reducta nimius ille, at simulatus, litterarum culturam profitendi ardor sensim restinctus est. Quis igitur subsellia quædam in scholis nunc vacua miretur? Aliam tamen eiusdem rei causam suggerit ipsa nostrorum temporum valde immutata ratio. Numerus quidem civium omnino omnium

omnium superiori seculo (nam paullo altius argumenta huius loci sunt reperenda,) minor, at opulencia maior fuit. Cum autem per opum abundantiam his, quibus illas singularis fortunæ liberalitas tribuit, priuatis atque a publicorum munerum molestia alienis viuere liceat: complures tum temporis, aut sincero litterarum amore adacti, quarum cultura, eaque voluntaria, iucundius quicquam ad vitam otiosam afferri nequit, institutioni publicæ sponte se obrulerunt; aut ingenii vel mediocriter exculi præstantia et eximia utilitate allecti, saltem aliquot, et plures quam hodie, annos ante, quam ad aliud vitæ genus se applicarent, ludos litterarios frequentare constituerunt. Quæ omnia hodie multo aliter se habent. Parentibus enim plerisque magis ad fortunam filiorum augendam, quam ad ingenium scientiis artibusque maxime necessariis informandum, intentis, pauciores quam olim adulescentes, cum natalium splendore præminentes, tum diuitiarum affluentia insignes, in scholis conspiciuntur; ex utroque genere non nisi his fere Musarum castra sequentibus, qui maximam inde aut honoris, aut fortunæ, accessionem sperare iubentur: ceteris nimis mature, litterarumque omnino rudibus, aut ad arma, aut omnia alia vitæ negotia properantibus. Equis igitur, in tanta et rerum et animorum commutatione magis magisque ingrauescente, ex parte saltém, numeri discipulorum in scholis iam deminuti causam sitam esse, dubitet?

Commendatione autem consiliorum, quibus querelis istis omnibus, de scholarum corruptione subortis, occurrere possit, eo lubentius superfedemus, quo diligentius alii adhuc in hoc genere versati sunt; quorum tamen sententias si excutere vellemus, nimis de cursu orationis desisteremus: animus enim tantum fuit, a scholis ipsis deuolueret culpam malorum, quibus omnis res litteraria iam laborare fertur. Cui proposito nostro cum satisfecisse credamus, quantum et per temporis angustias, et per instituti rationem licuit, id tantummodo addamus: tantum forte periculi eruditioni vniuersæ nondum metuendum esse, quantum plurimi minitantur; siue, quod idem est, complures

eius.

eiusmodi querimonias magna ex parte esse inanes. Aut enim illæ, aut summæ nostrorum temporum laudes, quibus iam libri auctoritatis non contemnendæ turgent, vanæ sunt et confictæ. Lepidissimum certe est, vbi animaduertas, nonnullorum auctores, quorum lectio vel Heraclito risum moueat, mox in seculo nostro collaudando tam profusos esse, quasi omnium animi nouo quodam sapientiæ sole collustrarentur, adeoque maioribus omnis eruditionis cognitionisque palma a nepotibus sit erepta, mox eosdem illos in altera pagella conquiri de imminente communi litterarum exitio, eoque institutis scholasticis maxime tribuendo. Eximia autem illæ laudes si ex animo sincero, velut veritati conuenientes, profiscerentur: etiam scholis pars gloriæ tribuenda esset, quas haud parum ad splendorem illum litterarum attulisse oportet. Tum vero metus de futuro, quo se percelli simulant, sine dubio est inanis. Vti litterarum cultura, quamuis vitis haud leuibus etiamnum commaculata, hucusque aucta magis et propagata, quam deminuta est: ita etiam plura dehinc secula eandem pari honore habitum iri, iure meritoque speramus. Quicumque meminert, quanta litteræ inprimis ad humanitatem pertinentes hoc ipso, quod decurrit, seculo ceperint incrementa, ex quo GESNERVS et ERNESTI in illas instaurandas magisque excolendas omnem impenderunt operam; quicumque HEYNIUM cogitet, illis superstitem; quicumque denique in Saxonia nostra insignia HILLERI in rem scholasticam merita animo recolat, qui tot abhinc annis indefesso studio in formandis iis ipsis, qui se formandæ iuuentuti dicare constituerunt, operam suam summa cum laude collocat: is aut inuidia singulari agatur, aut atra bile laboret, necesse est, si his temporibus litterarum exitium ingruere auguraretur. Quis posteritati ingeniorum, qualia laudauimus, prouentum temere denegauerit? Ideoque, cum scholarum salus maxime ab institutione academica pendeat, vt supra demonstratum est, atque omnes boni fructus non contemnendos inde huc redundantes grato animo agnoscant, præterea scholæ ipsæ tot tantisque vitis nondum sint obrutæ, ac nonnulli suspicantur, spes
de

de conferuanda elegantiorum litterarum cultura nondum nobis præcédenda videtur.

Quam spem iucundissimam nosmet ipsos alere etiam de Lyceo, curæ fideique nostræ commisso, hunc ipsum, quem in publicam lucem prodire iussimus, libellum testem esse volumus. Certe hæc officina liberalium artium, spes illa piorum parentum, et indigentiarum, et in vicinia Musis nostris bene cupientium, longe præstantissima, nobis, si quid aliud, curæ cordique est. Hanc potissimum tuemur, hanc fouemus, hanc omni sensu atque cogitatione amplectimur, omniaque nostra consilia eo tendunt, vt ipsi, occasione quacunque arrepta, quam optime prospiciamus. Cuius in Musas nostras amoris publice declarandi, rerum humanarum vicissitudine ita ferente, nobis iam præcipue datur locus. Superiori enim anno exeunte de vita decessit CHRISTIANVS GÖTTLOB FRÆTORIYS, Camentiensis, qui rei scholasticæ apud nos vniuersæ per decem et quatuor annos præfuit. Omni igitur cura nostra eo spectante, vt munere hoc vacuefacto conferendo saluti publicæ, quam fieri posset, optime consuleretur, communi omnium nostrum consensu in locum eius successus est IOANNES GEORGIUS HORN, qui secundas ab illo in Lyceo nostro partes adhuc ita egit, vt et omnium bonorum desiderio satisfecisse videretur, et nos iure sperare possemus, eandem illum solertiam ad ampliorem quoque provinciam administrandam allaturum esse, qua præfuit minori. Sollicitis autem de successore illi rogando, maxime nobis se commendauit IOANNES CHRISTOPHORVS CAROLVS KIESLING, apud Pulsnitienfes, quod oppidum hinc non longe distat, supremo, quale fert locus, munere scholastico iam laudabiliter functus, cuius dexteritatem in elegantiorum litterarum disciplinis tradendis, publice exhibitam, omnes plerique harum rerum periti ita comprobauerunt, meritaque laude profecuti sunt, vt, confidentes, rem litterariam apud nos eius opera eximie adiutum iri, de munere isto ipsi conferendo suffragia ferre nulli dubitauerimus; præsertim cum ipsum et docendi ratione, et comitate quadam singulari, non omnibus litterarum doctoribus communi, iuuenum, qui iam apud nos literas colunt, animos sibi conciliaffe intelligeremus. Cum igitur iam in eo simus, vt vtrique munera decreta solemniter tradamus, potiora, quæ de ipsorum vita scire Lectorum forte interesse possent, præmittere lubet.

Et HORNIVS quidem, Frankenthalii Lusatorum, in confiniis Misnia, inferioris quidem ordinis, at honestis parentibus exeunte anno huius seculi trigésimo octauo natus, *Dorixium*, tum ibi sacrorum antistitem, deinde nostrum, ducem auctoremque studiorum nactus est. Anno deinde quinquagesimo quarto in illustre Afraneum, quod Misena floret, receptus, sexagesimo autem ciuibus academiæ Lipsienfis adscriptus, stadium, quo cœperat, decurrere petrexit. Tribus annis post in provinciam patriam reuocatus, vltra quinquennium Burkauia iuuentati priuatum instituendæ operam dedit. Anno deinde MDCCLXVIII. contulit se Vitebergam, vbi a. MDCCLXXI. summis, qui philosophia liberaliumque artium cultoribus impertiri possunt, honoribus ornatus est. Anno insequenti Lipsiam repetiit; vnde, postquam, instituta re familiari, iam per aliquot annos priuatus viuere cœperat, ante hos quatuor annos, nobis ipsi munerum scholasticarum, quæ apud nos sunt, secundum deferentibus, huc tandem commigravit.

Futs-

Futurus autem, quem illi adiungimus, laborum scholasticorum comes, **KIESLIN GIVS**, natus est Brandisii prope Lipsiam anno currentis seculi quadragesimo septimo haereditis illius oppidi ciuibus. Haustus in patria, *Brædero* potissimum duce, chori musici ibidem praefecto, primis litterarum elementis, sedecim annos natus celeberrimo Iudo litterario Dresdensi, a cruce nomen sortito, additus est. Ibi ultra sexennium omni tempore litteris ad humanitatem pertinentibus dato, *Bodenhauseni* Equitis liberalitate annuo beneficio adiutus, Vitebergam demigravit, ibique ab *Hillero* in ciuium academicorum censum relatus, et litteris elegantioribus vterius ediscendis, et diuinarum scientiarum culturae operam nauauit. Anno deinde MDCCLXXII, summis honoris, quæ ordo philosophicus tribuere possit, ornamenti condecoratus est. Biennio post Dresdam rediit, solitoque tentamini, munera sacra petitaris subeundo, coram summo per Saxoniam de rebus sacris iudicante Senatu se subiecit. Tum deinde tempus et operam et Dresdæ, et postea Pulsnitii, per quinquennium institutioni iuuentutis domesticæ impendit vsque dum a, MDCCLXXVIII, in hoc, quod posteriore loco nominauimus, oppido scholæ Rectoris munere ornaretur. Quod tamen cum eruditione viri omnium iudicio inferius visum sit, speramus, eo lubentius alacriusque cum in palæstram descensuram, quam ipsi apud nos cum maxime aperire constituimus.

His itaque diuinitis, in quorum sedulitate omnis omnium spes de Lyceo nostro tuendo, augendo, collustrando, sita est, vt munera, singulis decreta, solemniter deferrentur, crastinus dies constitutus est; camque rem ex nostra sententia verbisque nostris peragendam **CAROLO GOTTLÖB COMPASSIO**, Iuris vtriusque Doctori, prædii clientelaris Rothnauslitiensis Domino, Consuli apud nos hoc anno fauces tenenti ac Scholarchæ, demandauimus. Litterarum itaque **FAVTORES** quoscunque, quorum oculis hæ litteræ nostræ subiiciuntur, tam urbem nostram incolentes, quam exteros, humanissime inuitatos volumus, vt istis solemnibus, in Aedibus Musarum cultui apud nos sacris hora octaua matutina institutendis, interesse velint, consilia nostra comprobent, litterarumque elegantiorum huic officinæ fauere pergant.

Eosdem tamen illos Musarum **AMICOS** nescire nolumus, Iuuenes quosdam bonæ spei, eosdemque Lycei nostri alumnos, a nobis petiisse, vt sibi quoque in tanto eruditorum virorum confestu, quanto scholam nostram cohonestatum iri speramus, publice, at breuiter, dicendi fieret copia; quorum nomina eo, quo prodibunt, ordine hic addere liceat. Primum igitur peractis illis solemnibus conuenienter dicturi sunt *Ioannes Gottlieb Mirisch*, et *Christianus Fridericus Traugott Voigt*, vtrique Camentiensis; quos deinde excipient *Christophorus Benjamin Herrlich*, Camentia, et *Augustus Fridericus Traugott Linke*, Kænigsbrucca Lusati, ad studia academica adspirantes, id-oque Mæcenatibus atque Amicis vltimum Vale publice acclamaturi; quibus tandem *Carolus Gottlieb Noske* fausta quæque precaturus, omnem simul rem nostram scholasticam et Auditoribus et Bonis omnibus commendabit. Quos omnes vt Viri Doctissimi, quorum præsentia nobis erit exoptatissima, per breue temporis spatium benignissime audire velint, et illi ipsi rogant quam enixissime, et nos ipsorum votis lubentissime subscribimus.

P. P. Camentia, a, d. V. Cal. Maias A. I. S. MDCCLXXXVI.

Q. K. 146, 3.

Yc
1614

CONSUL ET SENATUS
CIVITATIS CAMENTIENSIS

LYCEI PATRII

MVNERA SVPERIORA


SOLEMNITER TRADENDA

INDICIT.



BVDISSAE

EX OFFICINA SCHOLZIANA,



B.I.G.

Farbkarte #13